



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Liber De Prudentia Ivstorvm**

**Juan <de Jesús María>**

**Coloniae Agrippinae, MDCXIV**

Cap. I. Monet Iesvs Christvs omnia obliuioni tradere, vt sola Dei memoria  
remaneat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](#)



QVARTA PARS  
QVAE CONTINET  
alia monita communia, &  
alia ad status diuersos per-  
tinentia.

CAP. I.

MONET IESVS CHRISTVS  
*omnia obliuionis tradere, ut sola Dei  
memoria remaneat.*

**B**EATI, qui scrutantur  
attentissimè testimonia  
clemētissimi Patris mei:  
& in toto corde exqui-  
runt eum Sepotitis enim  
negotiis aliis, quę charitas, vel iustitia,  
vel obedientia non requirit, in lege  
dulcissimi, & æterni testamenti mei,  
meditantur dies ac noctes: & spiritua-  
les hostias pacificas semper mihi puro  
corde sacrificant. Cor eorum, & co-  
gitatio apud altissimum, in cuius con-  
spectu, per vigiliam charitatis, iugiter  
versantur: & timet ab eo separari, sicut

H mors

mors timeri solet. Cognouerunt enim,  
quia vita in voluntate eius, & ira in in-  
dignatione eius: & propterea , per di-  
es, atque noctes , studiosissime cogi-  
tant, quomodo possint placere illi: &  
diligentissime vitant quicquid oculos  
tantæ Maiestatis offendit. In iustifica-  
tionibus eius meditantur , nequè un-  
quam obliuiscuntur sermones eius. E-  
go sapientia, vnà cum Patre meo cun-  
cta componens, & ducens vnam quam-  
que creaturam ad terminos suos, dile-  
xi vos Adæ filios, & de unoquoque sin-  
gulatim cogitaui, stans super cuiusque  
custodiam , ac si cæterorum oblita, illi  
soli intendere velim. Et dum assumpsi  
naturam hominis omnia opera mea,  
passionem , ac mortem meam, ad vnu-  
quemque direxi, vt in Ecclesia magna,  
quilibet per me redemptus cantet om-  
nes fideles , & antiquas misericordias  
meas. Totus ego Rex Pacificus, non ex  
operibus iustitiae, quæ fecistis vos, sed  
secundum sanguinissimam bonitatem , &  
clementiam meam, factus sum singulis ve-  
strum , quasi nutrix fouens filios suos:  
nequè sollicitum pro vobis cor meū, à  
singulorum curā, aliorum cura diuer-

tit. Si ergo ego tam intentus singulis  
sum, cùm bonorum vestrorum non e-  
geam, & vos debetis, totis visceribus,  
mihi præcordia vestra consecrare, me  
semper meditari, atquè diligere, cùm  
sine menihil esse, aut operari valeatis.  
Expandite manus, & viscera vestra ad  
me, cùm sit anima vestra sicut terra si-  
ne aqua mihi, & ego fæcundabo illam,  
vt lætetur gemellis amoris fætibus, &  
sterilitas recedat ab ea. Nihil ei, dum  
mihi vacat, deesse poterit: dabo illi re-  
giones gétium, & labores populorum,  
sine labore possidebit: vt custodiat iu-  
stificationes meas: & legem meam  
plenam dulcedine, & dilectione re-  
quirat. Certè sancti mei, qui omnia de-  
trimentū fecerunt, vt me lucrifaceret,  
summo studio diuinam præsentiam ante  
negotia, & lucra omnia ponere, & ser-  
uare curarūt; & hoc uno negotio tran-  
quillissimo, quasi patrimonio suo, inti-  
mè lætati sunt: & exultarūt sicut exul-  
tare solēt, in virētib⁹ pratis agniouiū.  
Filij, concupiscite solū decorē meū, &  
memoriā mei, omniū bonorum matrē,  
quasi aurum purissimum custodite:

H 2

&amp; ego

& ego vos in omni aduersitate fidelissimè custodiam.

## C A P. I I.

## Conqueritur de obliuione Dei.

**Q**VID est, quod dilectus populus meus, in domo mea, fecit scelera multa, & oblitus est mei, quasi ego morte ignominiosa, & dolore plena nō redemissem eum? Ego nihil prætermisi, quod ad salutem, & consolacionem populi christiani pertineret. Illi enim destinavi supremas misericordias meas; quibus ferè mansuescerent. Eius sunt fidelissima promissa mea, testamentum, & legislatio cœlestis gratiæ meæ: & mitissimo corde cum populo acquisitionis versor, quasi ludens in orbe terrarum, ut inspirationibus, & gratuitis donis meis, corda dura emolliam, & vescar dulcissimo fructu sanguinis mei. Et tamen populus meus oblitus est mei, diebus innumeris. Nequè solùm pauperes, & ignari, & optimates, qui negotiis sacerularibus oppressi quasi gigantes gemunt sub aquis mei non recordantur, sed ipsi etiam Ecclesia.